Manetti, Giannozzo: Historia Pistoriensium sive Chronicon Pistoriense (ab urbe condita usque ad annum 1441)

Italien, 15. Jh. 

Hactenus priori libro multa ac
uaria premisimus. que ad pri
meua etruscorum nostrorum origi
ne per aliquot annorum milia
ad pistoriensium cunabula lon
gius repetiuimus. ac deinde usque ad infausta i
sta et infelicia memoratarum partium studia dedu
ximus: quod idcirco fecimus. partim ut ea que
scriberemus ceu quodam uetustatis sale condita
digniora redderentur: partim etiam ut cetera que
multis post seculis facta fuerunt ab illis antiquissi
mis et dignissimis rebus plurimum degenerasse
uiderentur. quemadmodum cunctis deinceps hec no
stra legentibus palam & aperte demonstrabimus.
Sed quoniam hec detestanda et execranda albarum et
nigrarum partium studia omnium pene italicarum
nedum nostrarum et domesticarum nouitatum que po
stea subsecute sunt initium causam & originem fuis
se constat de huiusmodi cunctarum aliarum factionum
ut ita dixerim capitibus nonnulla presertim in
principio huius secundi libri ubi reliquorum fundamen
ta iaciuntur clarius & euidentius replicabimus.
Prepotentem cancellariorum familiam natis inter se dis
sensionibus in tantam insaniam ac rabiem in calce prima
prorupisse retulimus. ut preter frequentes hominum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_932/0078
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG